

solum tunc & neminem alium verè apud illas fuisse Metropolitanum. Quod autem nullus præter Romanum Pontificem per ea tempora Metropolitanæ munus obierit, sic conjicere est. Metropolitanorum officium erat, ut in proœmio diximus, Episcoporum electionibus præsidere, electosque consecrare per se vel per alios; eosdem Episcopos delinquentes deponere vel aliis pœnis Canonicis subicere; † Concilia ex provincia convocare iisque præesse; Patriarchæ mandata recipere, ac de iis postea Suffraganeos certiores facere. Ea sunt vera, certaque Metropolitanarum munia, ut apud omnes certum est. At quis per sex prima sæcula dictasque provincias, Campania, Lucania, Brutia, Calabria, Apulia & Corsica talia obiit præter Romanum Pontificem per se vel per Vicarios? Ita esse, ut inductione probetur, longum esset sex illa sæcula percurrere: nec sane videtur necessarium: fati erit si de tempore beati Gregorii Magni probemus, cum certum sit Metropoles, quæ ante illum erant, ab eo sublatas, suoque honore spoliatas non fuisse. Quis unquam Epistolas hujus Magni Pontificis legit, nec observavit hunc præcipere <sup>a</sup> Anthemio Subdiacono, ut A-

<sup>a</sup> Greg. Mag. lib. 5. Indict. 14. Epist. 23.  
<sup>b</sup> Idem lib. 8. Indict. 3. Ep. 18.  
<sup>c</sup> Lib. 2. Indict. 10. Ep. 29.  
<sup>d</sup> Lib. 2. Indict. 10. Ep. 27.  
<sup>e</sup> Lib. 2. Indict. 11. Ep. 45.  
<sup>f</sup> Lib. 5. Indict. 14. Ep. 21.  
<sup>g</sup> Lib. 1. Epist. 51. Indict. 9.  
<sup>h</sup> Lib. 9. Indict. 4. Epist. 74.  
<sup>i</sup> Epist. 3. ad Virg. Arelat. c. 1. Conc. Gall.  
<sup>k</sup> Idem lib. 2. Ind. 10. Ep. 37.  
<sup>l</sup> Idem lib. 10. Ep. 31.

malitanum Episcopum in Campania, quem in Ecclesia sua non residere didicerat, si ita esse reperiret, in Monasterio recluderet: & ut <sup>b</sup> Amandum electum Episcopum Surrentinæ Ecclesiæ in eadem provincia, Romam mitteret: Felici Episcopo <sup>c</sup> Acropolitano in Lucania, ut Buxentinam & Blandanam Ecclesias Episcopales ejusdem provinciæ visitaret: Ioanni Episcopo <sup>d</sup> Scyllatiensi, ut Crotonensi, Taurianensi & Thuriensi Ecclesiis in Brutia idem visitationis officium impenderet, ac in eis Episcopos eligi curaret: Ioanni <sup>e</sup> Callipolitano, ut Andream Episcopum Tarentinum deponeret, si hunc concubinam habuisse dignosceret: Et Petro <sup>f</sup> Episcopo Hydruntino in Calabria, ut per Brundisiam & Callipolitanam Ecclesias in eadem provincia visitationis munus obiret, eisque Episcopos faceret eligere: Felici <sup>g</sup> Sipontino in Apulia, ut Canusinam Ecclesiam in eadem provincia visitaret, eique duos parochiales Presbyteros præficeret: Denique Bonifacio <sup>h</sup> Defensori Corsicæ, ut quam primum Aleria & Adiacio ejusdem Insulæ urbibus Episcopos curaret eligendos, electosque Romam ordinandos mitteret? At quis nescit hæc omnia vera ordinariaque Metropolitanorum munia fuisse, eosque à quibus gesta vel mandata sunt semper pro Metropolitibus habitos; ac proinde non videt hinc quasi certò inferendum esse unum Episcopum Romanum per id temporis Metropolitanum fuisse harum omnium provinciarum, nullumque earum Episcopum per hæc tempora Archiepiscopali autoritate donatum? Id sane tantò verisimilius est, quòd semper pro Ecclesiarum privilegiis Gregorius Magnus acriter pugnarit, diligenterque caverit, ne jura Metropolitanorum læderentur, ut ipsemet testatur in Epistolis, ac primùm Virgilio <sup>i</sup> Arelatensi hunc Vicarium Apostolicæ sedis instituens, his verbis: *Itaque fraternitati vestra vices nostras in Ecclesiis, quæ sub regno sunt præcellentissimi filii nostri Childeberti, juxta antiquum morem Deo auctore committimus: singulis siquidem Metropolitanis, secundum priscam consuetudinem, proprio honore servato. Item: <sup>k</sup> Absit à me, ut statuta majorum consacerdotibus meis, in qualibet Ecclesia infringam; quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo. Ac iterum: <sup>l</sup> Si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed everfor esse justè probarer, testante veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in seipso divisum non stabit.*

Fateor Rhegium Brutiorum Metropolim factum fuisse ante Iconomachorum tempora, cum id à Patriarchatu Romano avulserint, Metropolisque nomine subjecerint Constantinopolitano, ut videre est in Notitia Græca manuscripta Regiæ Bibliothecæ, Leonis Iconomachi tempore facta. Sed cum nulla

E 3

præ-

N O T A E.

† Concilia ex Provincia convocare. ] Hinc Capuano jus metropoliticum adstruendum esset: nam Liberius Papa in Epistola quadam apud Hilarium de Synodis ad Vincentium scribit: *Dignaberis convenire* Episcopos cunctos Campania, & hæc illis insinuare. Ex ipsorum numero una cum Epistola vestra &c. LUCAS HOLSTENIUS.